

**QVARTA DIES MAII.  
DE BEATO PIO QVINTO  
SVMMO PONTIFICE.  
NOTVLA Miraculorum, post mortem ex  
proceßibus sumpta.**

**Don Michael Bonelli, Prior Hospitalis S. Mariæ Consolationis, a quadam struma in gutture cum continuis doloribus, magnitudinis plusquam unius panis, qua per sex annos & amplius laboraverat, commendatur Servo Dei, statim liberatur.**

**Nicolas Brautius, Episcopus Sarcinonensis, ab acuta & periculosa feбри sanatur in instanti, invocato ope prædicti Servi Dei.**

**Maritus Cleopatræ Storchi Urbinatis, gravissimo capitis dolore percussus, tactu Reliquiæ Pii V sanatur.**

**R. P. D. Ravarius ab ingenti dolore capitis, passo per plures menses, tactu Reliquiæ ejusdem Servi Dei liberatur.**

**Julius Nipotellus, catarrho & distillatione in oculis & auricula, cum gravi dolore capitis detentus & a medicis derelictus, tactu Reliquiæ ejusdem pristinam sanitatem in instanti adeptus est.**

**Thomas Trevisanus, Sacerdos Romanus, a gravi laterum dolore & retentione urinæ liberatus, invocata ope dicti Servi Dei.**

**Gerardinus de Gerardinis, in extremis laborans infirmitate scarantiæ, tactu calceamenti prædicti Servi Dei sanus evasit.**

**Gregorius Donatus Sacerdos, duplici febris tertiana in extremis laborans, invocata ope Pii V sanatur.**

**Odoardus Lopez Medicus, acutissima febris cum symptomatibus letalibus oppressus per viginti dies, commendatus d. Servo Dei statim pristinam sanitatem recepit.**

**Soror Angela Mareri, a catarrho cum distillatione, ingenti capitis & stomachi dolore, & febris liberatur, apposita capiti ejus Reliquia Servi Dei.**

**Soror Maria Theresia a copioso sputo sanguineo, cum capitis & stomachi dolore, invocata ope d. Servi Dei, confestim sanatur.**

**Priorista monialium Humilitatis, periculosa febris laborans, ita ut a medicis pro letali haberetur, commendata eidem Servo Dei, in instanti pristinam sanitatem recepit.**

**Tres filiae Marchionissae Bonellae morte praeservatae sunt, intercessione ejusdem Servi Dei.**

**Binae imagines Pii V ab incendio praeservatae.**

**Quidam Julius, ab ingenti & continuo dolore capitis liberatus, intercessione praed. Servi Dei.**

**Michael Bonellus Presbyter a quadam deformi monstruositate, liberatur ope praed. Servi Dei.**

**Quidam haereticus Anglicus, Writus nuncupatus, suggesto consensu adversus Pium V petulanter oblocutus, mutus effectus fuit; ac subito morbo correptus domumque delatus, miser interiit.**

**Quidam Frater Ordinis S. Dominici, in civitate Palentina, in regnis Hispaniarum, gravi & molesta infirmitate affectus in secretioribus partibus, morti proximus, fuis precibus coram imagine præd. Servi Dei, pristinam sanitatem accepit.**

**Valentiæ in Hispania, Guilielmo Raymundo nobili viro, paulo antequam e vivis excederet, chorus affuit lætissimus. In eo erant beatissima Virgo Dei Mater, S. Dominicus, S. Vincentius, S. Ludovicus Bertrandus, & Pius V, quem ipse Guilielmus viventem apprime venerabatur: qui omnes lectulo ejus circumfusi, letanias recitantes pro eo precabantur. Et prædictum Servum Dei magno ei beneficio fuisse referebat, cujus pileolum, a Cardinali Alexandrino in Hispaniam delatum, antea capiti suo apposuerat.**

**Joannes Serpa, a quodam sicario aggressus, qui pugione evaginato ipsum occidere tentabat, ostensa illi capsâ, in qua erant quidam cerei orbiculares ejusdem Pii V, liberatur, prolapso in terram pugione & sicario.**

### **EX PROC. AUXIM.**

**Tiburtia Florentii, annorum septuaginta duorum, febri petecchiali aliisque letalibus infirmitatibus oppressa, morti proxima & a medicis derelicta, tactu subuculæ præd. Servi Dei pristinam sanitatem in instanti recepit.**

**Quædam mulier infirma & crure deperdito, tactu calceamenti præd. Servi Dei sanatur.**

**Antonius Florentius, Archipresbyter Auximanus, a gravi distillatione, vergente a capite ad fauces palati per septem menses, incassum adhibitis remediis humanis, commendatur d. Servi Dei, cum emissionem voti celebrandi sacrosanctum Missæ sacrificium, visitandi illius**

**sepulcrum, & appendendi votivam tabellam in ecclesia B. Mariæ Auximi, illico liberatur.**

**Pellegrina Jacobi Bacci, difficultatem partus per tres dies passa, feбри oppressa, non sine evidenti periculo mortis creaturæ quam in utero gestabat, tactu subuculæ Pii V, statim filium vivum peperit & sana evasit.**

**Maria Biagini, bis prægnans ab immundis spiritibus ita vexata fuerat, ut abortiverit: tertia vice prægnans, dum ab iisdem spiritibus plurimum agitaretur, & abortui proxima cerneretur, tactu calcei ejusdem servi Dei cesserunt dæmonis vexationes, & debito tempore peperit.**

**Sulpitia Fiorano, per multos menses lecto accumbens, variis angoribus oppressa, tactu calceamenti præd. Servi Dei sanatur in instanti.**

**Uxor Petri Angeli Mendolfi liberatur a partu difficili, cum imminente vitæ discrimine, tactu subuculæ Pii V.**

**Elisabetha Dominici Francischini, tribus continuis diebus doloribus partus vexata & morti proxima, tactu calceamenti præd. Servi Dei statim peperit, & sana ac immunis visa est.**

**Julia Augustini Pontiricii, ingenti capitis dolore affecta, nihil ei juvantibus humanis præsiidiis, tactu frustuli subuculæ præd. Servi Dei, confestim sanatur.**

**Isabella Partighelfi a difficili partu statim liberatur, delato ad ipsam Crucifixo eburneo præd. Servi Dei.**

**Aurelia, uxor Joannis Crocchini, a doloribus partus, quibus plurimum laborabat, tactu subuculæ præd. Servi Dei, statim peperit.**

**Pandora, uxor Vincentii Vitalini, a similibus doloribus partus liberatur, tactu cochlearis argentei præd. Servi Dei.**

**Joannes Baptista Lucius, doloribus petræ in extremis laborans, tactu calceamenti præd. Servi Dei confestim sanatur.**

**Franciscus, filius Antonii Calvi, a letali infirmitate coxendicis, qua mori seu saucius remanere debuerat iudicio medicorum, tactu Reliquiæ præd. Servi Dei, statim pristinam sanitatem recuperavit.**

**Filius Joannis Leopardi a periculosa infirmitate liberatur, tactu calceamenti præd. Servi Dei.**

**Tiberia Pranzi, gravi apoplexia correpta, tactu calceamenti præd. Servi Dei illico sana evasit.**

### **EX PROC. FANEN.**

**Uxor equitis Gentiluccii Rocchi, tactu subuculæ præd. Servi Dei, a difficili partu cum discrimine vitæ liberatur.**

**Vicaria monasterii S. Philippi Fanensis, a manuum attractione liberatur, tactu calceamenti præd. Servi Dei.**

**Gentilis Bartorella de Durantibus, a gravi pleuritide cum feбри acuta, dolore pungitivo in latere sinistro, tussi, difficultate respirandi & pulsu duro, & iudicio medicorum in extremis constituta, tactu calceamenti præd. Servo Dei, statim & in continenti sanatur.**

**Piera Bartorella de Ussudutiis a dolore capitis cum febre liberatur, tactu calceamenti præd. Servi Dei.**

## **EX PROC. BONON.**

**Julia Nulphia de Vignatolis, a doloribus colicis & nephriticis liberata, tactu calceamenti præd. Servi Dei.**

**Pater Fr. Virgilis Paseri, Ordinis Servorum B. Mariæ, a diuturno fluxu sanguinis in extremis laborans, commendatus præd. Servi Dei, illico sanatur.**

**Plures liberati a doloribus capitis, tactu Reliquiæ præd. Servi Dei.**

## **EX PROC. DERTON.**

**Filius Hieronymi Baddii, per quatuor menses feбри laborans & a medicis derelictus, commendatus a matre d. Servo Dei, sanatur.**

**Catharina, uxor Andreæ Masini, a feбри cum letalibus symptomatibus liberatur, invocata ope præd. Servi Dei.**

**Hieronymus Baddii a periculosa & diuturna infirmitate sanatur ope d. Servi Dei.**

**Magdalena Blanca post esum fungorum graviter infirmans, ita ut tribus continuis diebus absque loquela & sensu remanserit; implorata ope d. Servi Dei, pristinam sanitatem recuperavit, defunctis ceteris qui dictos fungos comederant.**

**Angelus Thomas Passeri, gravissimis doloribus oppressus oppressus & morti proximus, emisso voto præd. Servo Dei, & apposito super parte offensa orbe cereo ab eodem benedicto, statim & illico pristinae sanitati restituitur.**

**Idem ab equo in terram projectus, intercessione præd. Servi Dei liberatur a læsione brachii & humeri.**

**Joannes Passari, hernia intestinali laborans, commendatus præd. Servo Dei sanatur, absque applicatione præsidiorum.**

**Michael Annibalis Raddii, feбри oppressus & in extremis constitutus, invocata ope præd. Servi Dei incolumis evasit.**

**Julianus Albertini Rizzi a strumis liberatus ope præd. Servi Dei.**

**Baro Pusterla, feбри maligna per mensem laborans, & in agone positus absque motu, sensu & loquela per triduum, & pro mortuo habitus, commendatus d. Servo Dei, pristinam sanitatem in instanti recepit.**

**Soror Clara Magdalena Verzola, Monialis S. Dominici oppidi Salaturni, a gutta arthetica ita opprimebatur, ut nullo modo se movere posset; emisso voto præd. Servo Dei, statim incolumis evasit.**

**Soror Daria Francisca Frascarola ejusdem Ordinis, ab ingenti tumore in capite exorto, ita ut nec videre nec comedere valeret, liberatur ope præd. Servi Dei.**

**Don Cæsar, filius Marchionissæ Mariæ Grimaldæ Bonellæ, a feбри continua cum dysenteria diu oppressus, ope præd. Servi Dei liberatus.**

**Soror Maria Catharina, Monialis Ordinis S. Dominici, a continua surditate liberata, meritis d. Servi Dei.**

**Soror Joanna Maria Grassa a fluxu urinæ, pluribus annis passo, liberatur, voto emisso præd. Servo Dei.**

**Nicolaus Busutius equo incedens, in paludem prolapsus, ab evidenti mortis periculo liberatus, invocata ope præd. Servi Dei.**

### **EX PROC. MEDIOL.**

**Michael Crescentius, Doctor Theologus & Protonotarius Apostolicus, gravi & continuo dolore in femore laborans, ita ut iudicio medicorum nullum esset aliud remedium nisi femur abscindere; paratis a chirurgo omnibus ad id necessariis, ipse commendans se Pio V statim sanus & incolumis e lecto surrexit.**

### **EX PROC. BERGOM.**

**Os extractum ex corpore præd. Servi Dei fragrantiam odoris suavissimi emittens.**

**Cabrinus Cabrini, quodam casu dorso sibi effracto, ita ut se movere minime posset, una cum intensis & continuis doloribus, ope præd. Servi Dei incolumis evasit in instanti.**

**Fr. Æmilius de Bergamo, Ordinis Prædicatorum, a febris maligna liberatus, intercessione præd. Servi Dei, qui ipsi infirmo, una cum beatissima Virgine & S. Dominico, apparuit.**

**Franciscus de Cerri, gravissima febris cum dolore capitis correptus, deosculata imagine præd. Servi Dei, confestim sanatur.**

**Barbara, filia Sebastiani Strozzæ, per plures dies cum febris maligna oppressa, & pro mortua derelicta, utpote loquela & sensibus privata & in agone posita, commendata præd. Servo Dei confestim incolumis evasit.**

**Apollonia Ambrosii Selarii, feбри per quatuor menses laborans & energumena, nihil proficientibus exorcismis, delata ad ipsam imaginem præd. Servi Dei, cui se enixe commendavit, statim liberatur tam a feбри quam a spiritibus immundis.**

**Ursula Petri Marchesi, duplici feбри tertiana graviter affecta, cruribus, renibus & facie tumefactis, & in extremis constituta, commendata d. Servo Dei, statim incolumis reperta est.**

**Ursulina a Gasali coquinaria in ignem cecidit, unde pars faciei sinistra, cum oculo, naso & aure combusta & intolerabili dolore afflicta: ad tactum Agnus Dei a Pio V benedicti, cui se commendavit, illico doloribus exempta est, & spatio duodecim dierum absque aliqua deformitate sanata.**

**Antonia, uxor Stephani Trotti, Pio V commendata, a mortali infirmitate liberata.**

**Hactenus Notula illa. Ne autem reliqua pagina hic vacet, accipe Hieronymi Badesii Romani Carmen in statuam ac tumulum Pii.**

***Salvete o cineres Pontificis Pii,  
Salvete. Exiguo non decet amplius  
Vos claudi tumulo, qui decus abdidit  
Vestrum jam nimium diu.  
Vos ferri ad celebres exequias jubet  
Sixtus, mirifico splendidus ordine  
Hic vos nobilior suscipiet locus,  
Quo nil magnificentius  
Hic marmor nivibus candidius nitet  
Spirantem referens effigiem Pii.  
Hic gemmæ maculis multicoloribus,  
Astrorum superant patrem.***

***Hic stant de Pariis marmoribus Duces.  
 Alter sacrilego milite Galliam  
 Oppressam, rediens victor ab hostibus,  
 Regi restituit suo.***

***Claravit trepidas alter Echinadas,  
 Dum classem tumido mersit in æquore,  
 Et monstrum Italicis excidium ferens  
 Longe reppulit urbibus.***

***Hic spectare licet prælia in ultimis  
 Decertata locis: Hic equites ruunt,  
 Hic cadens peditum procubuit cohors,  
 Hac manat calidus cruor.***

***At parte ex alia nant sive remige  
 Quassatæ igniferis undique ab ictibus  
 Puppæ; jam gravidum se fluitantibus  
 Horret corporibus mare.***

***Salvete o cineres, non iterum, aut quater,  
 Sed clarum quoties sol revehit jubar,  
 Surgens Oceano, dum feret ultimus  
 Terris exitium dies.***

***Tunc vester, superis qui modo mentibus  
 Immistus merito perfruitur Deo,  
 Vos claros radiis spiritus induet  
 Numquam dissociabilis.***

***Quam Sixti meritis magna rependere  
 Debes Roma? tuo qui gremio abstrahi  
 Patris reliquias non tulit illius  
 Qui te jam tibi reddidit?***